



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Crisis Theologica

Cárdenas, Juan de

Sevilla, 1687

Cap. II. An hæc secunda sententia subiaceat damnationi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75689)

peccatū saltem veniale, omnes affirmant, quia est mendacium, dicere se iurare, cum re vera non iuret is, qui non habet intentionem iurandi.

CAPVT II.

An hæc secunda sententia subiaceat damnationi?

NON EGET SVMMARIO.

8. **D**ifficultas ergo præsentis dissertationis est, an hæc secunda opinio contineatur sub damnatione eius 25. propositionis. In qua quæstione assero, eam secundam opinionem nullo modo comprehendī sub ea damnatione. Quod sic ostendo. Nam Pontifex condemnat propositionem, quæ asserit licitum esse, iurare sine animo iurandi: sed ea opinio non dicit, licitum esse iurare sine animo iurandi: ergo ea non condemnatur à Pontifice. Maior constat ex ipsa propositione damnata. Minor patet, quia peccatum veniale nō est licitum: ergo propositio, quæ dicit, aliquam actionem esse peccatum veniale, non dicit esse licitum.

9. Hinc colligitur quantū exorbitet à veritate Filguera citatus §. *Nihilominus*. dum refert pro opinione asserente, esse licitum iurare sine animo iurandi Patrem Castro Palao, P. Lessium, P. Thomam Sanch. Bonacínam, & alios; & consequenter vult, opinionem horum Authorum contineri sub ea damnatione. Et in primis notanda est inconsequentia Filguera, qui cum dicat eos Authores propugnare id vt licitum; in eodem §. refert eos asserere, tantum esse peccatum veniale, quasi dicere aliquam actionem esse peccatū veniale, idem esset ac dicere, illam esse licitam. Et quidem P. Castro Palao loco citato hæc verba habet. [Si iuras sine ani-

mo iurandi, distinguendum est: vel iuras verum, vel falsum. Si iuras falsum; tam in iudicio, quam extra, est peccatum mortale. Si iuras verum; probabile est, esse solum veniale extra iudicium; in iudicio, & in contradiis mortale.] Quod idem eadem claritate docent P. Thomas Sanch. & P. Lessius.

10. Exorbitat etiam Hozes in explicatione huius propositionis 25. n. 3. attribuens P. Thomæ Sanchez, quod dixerit, non esse peccatum veniale, iurare sine animo iurandi, cum in loco quem citat ipse Hozes (lib. 3. sum. cap. 6. num. 10.) doceat oppositum in hæc verba: *Si iurans dicit verum, tunc solum peccat venialiter, quando vult significare se habere iurandi animum: quia est mendacium, & non perniciosum. Secus si id significare nolit, sed quoddam aliud disparatum.* Et circa hoc vltimum possit exemplum in eo, qui asserit iuramentum materialiter, sic: *Dico quod iuro*, vbi solum affirmat quis, se dicere ea verba, *quod iuro*, & verum est, se dicere illa verba. De hoc autem modo dicit, verba quæ refert Hozes: *Ego credo, nec hunc venialiter peccare: quia nullum est mendacium.*

11. Citat etiam Hozes P. Castro Palaum pro eadem assertionem, quod iurare verum sine animo iurandi, nullum sit peccatum, neque veniale. Sed sane oportet accuratius legi Authores, ne illi patiantur calumniam immeritam. Nam de mente P. Castro Palai constat ex verbis proxime relatis, illum perperam allegari pro ea assertionem.